


berg
2
108





DE

1928 K 944

1381

364

N I V E

12,27

58.

28

DISSERTATIO QVARTA,

QVAM,

DEO O. M. CLEMENTER ANNUENTE,

IN

ILLUSTRI AD ALBIM ACADEMIA,

PUBLICE DEFENDENT,

PRÆSES

M. JO. ANDREAS PLANERUS,

STRELENSIS MISNICUS,

ET

RESPONDENS

BALTHASAR SIBERUS,

BURCKERSDORF. MISN.

VII. KAL. MAJ.

ANNO clb lbc IVC.

HORIS LOCOQ. CONSVETIS.

VITEMBERGÆ,

Prelo CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.

1696

FR 57

S.

1077



1851

V I R O.

NOBILISSIMO. AMPLISSIMO, PRUDENTIS-
SIMOQVE.

D O M I N O.

PAVLO. BERGERO.

SERENISSIMO. POTENTISSI-
MOQ. PRINCIPI. ELECTORI. SA-
XON. A. TRIBVTIS. ET. CIVITATIS. ILE-

BVRGENSIS. CAMERARIO. GRA-
VISSIMO.

DOMINO. PATRONO. SVO.
AEVITERNVM. SVSPICIENDO.

DISSERTATIONEM. HANC. ACADEMICAM.

EA. QVA. PAR. EST.
OBSERVANTIA.

ANIMIQ. CANDORE,
DICAT. DEDICAT.

CULTOR. PERPETVVS.

BALTHASAR. SIBERVS.
PHILIATER.

Handwritten marks



VIRO CLARISSIMO,
DN. BALTHASARI SIBERO,
Medicinæ Candidato.

1383

 Ritum vulgo verbum est: ibi incipere Medicum,
ubi desinat Physicus. Laboranti enim naturæ mini-
ster naturæ subvenit. Nec circumspecte tamen,
nisi cognitæ satis ac perspectæ. Cujus quidem adyta rerum
naturalium scientia aperit. Digna adeo, quam Medicina
patulis, quod ajunt, ulnis excipiat. Digna, a qua Me-
dicus, a qua tu, CL. VIR, rem Medicam auspiceris.
Quamquam non tam auspiciari, quam prope consumma-
re videaris. Qui tamen est tuus in Philosophiam amor,
nondum hanc ab Arte tua sejungis. Noras, quantum inter
utramque vinculum intercedat. Noras Medicinam, auctore
Isidoro Hispalensi, secundam dici Philosophiam. Utraque
enim disciplina totum sibi hominem vindicat. Utque per
hanc anima, ita per illam corpus curatur. Tum vero haud
nesciebas, quantum singulis Medicinæ partibus Philosophia,
cum primis Naturalis, commodet. Quotusquisque Medicus
corporis curabit partes, quarum structuram, generationem,
vitam, functiones nescierit? Quis Hygienem rite imbibet, ni-
si similia norit, quibus similia servantur? Quis Therapeuti-
cen, qui contraria contrariorum remedia ignoraverit? Quis
Physiologiam, nisi qui res naturales: elementa, eorumque in
humoribus corporeis permixtiones, humores ipsos, tempe-
ramenta, partes, spiritus, facultates, operationes habeat in nu-
mera-

S.

107

merato? Qvis Pathologiam, nisi res, quas vocant præternaturales: morbos, causas morborum, & symptomata tenuerit? Qvis Semioticen, nisi signa, signorumque fontes, hoc est, actiones integras & læsas; qualitates sensibiles salvas & corruptas; itemque humores ac spiritus secundum & præter naturam affectos, discernere didicerit? Qvis diætam imperabit, præterquam is, qui res non naturales norit: alimenta, vigiliam, somnum, motum, quietem, excernenda ac retinenda, affectus? Qvis Pharmaceuticen excolet, ac medicinam parabit, aut præscribet, nisi vires edoctus mineralium, plantarum, animalium, unde materia constat Medica? Qvis denique Chirurgicen, morborum externorum ignarus? Atqui hæc tradit omnia, quæ naturas rerum tractat, disciplina. In cuius spatiis quantum sis progressus, publicum testatur specimen. Cujus quidem prudenti consilio delegisti, solerti que industria elaborasti, argumentum arti tuæ peridoneum. In quam, si aliunde, certe emeteoro nivis infinita commoda redundant. Quod adeo verum, ut, inter parnaceas referri siveverit. Ex hujus itaque effectis innumeris haud abs re videbatur quorundam inire numerum. De quo pleno laudis conatu pro eo, ac par est, gratulor. Cujus pariter cæteri que laboris fructum ut olim abunde sentias, voveo & precor. Medicum præ multis aliis honore dignum censuit Homerus. Hoc igitur ut propediem in Arte salutari, juxtaque aliis post alios honoribus deinceps augeare, debitaque omnia meritis tuis ornamenta ac præmia ex voto consequare, iterum enixissime precor

PRÆSES.



§. I.

UT nil uspiam datur, quin usibus hominum seruiat, sic idem decus ea sibi vindicant, quæ in alto generantur. Quippe alia vitiiis aerem purgant: alia res futuras porrendunt: alia terras foecundant, plantis benefica ac frugibus: universa bonum dant mortalibus ac salutem. Quæ adeo quo sublimiora sunt, hoc altius humani admirationem ingenii excedunt. Excedit præter cætera nix, cujus quot floccos, totidem effecta suspiciamus, licet. Quæ cum sint innumera, operæ nihilominus pretium fuerit quorundam inire numerum. In quibus quanta æterni Numinis providentia explendescit, tanta religione, ut hujus admirantium exempla cœpto annuat, supplicamns.

§. II. Libet vero auspicari a commodis, quæ hinc in genus humanum redundant. Quæ tot pariter tantaque sunt, ut fidem superare videantur. Ne tamen omnino superent, cum rationibus, tum sapientum suffragiis juxta & experientia evincemus. Inter prima igitur nivis decora numeramus refrigerium. Licet enim nix & calefaciat, magis tamen refrigerandi partibus fungitur. Certe potum, aquam, fructus, aliaque hujusmodi frigefacit, mercurii, ut habet Honorat. Faber, *opera, id est corpusculorum frigidorum e nive profluentium, quæ, v. g. partim per poros vasis subeunt, partim per ipsum os, quod nunquam ita obstruitur, quin aliquid subtilis humoris subire possit; siq; apertum fuerit, citius frigus concipitur, quia quasi irrepunt illa particula per exteriorem superficiem.* Ex eodem manat fonte, quod nix faciat ventum frigidum. Nix, idem inquit, efficit ventum frigidum. *Qui enim nobis ex montibus nive oblectis afflatur, frigidissimus sentitur. Nam secum defert Mercurium, quem nix perenni effluvio emittit; seu frigida corpuscula secum rapit, i. e. Mercurium illum, i. e. subtilissimas humoris particulas, quæ ex nive continenter effluunt, non secus, ac ventus ex calidissimis regionibus afflatus calidus est propter igneum halitum, quem secum defert.* Nix itaque cum frigida sit, frigus efficit. Unde veteres lavandis manibus pedibusque eam dicabant, ad æstum refrigerandum. Eadem liqvata, vinoque permista, vinum refrigerat. Idem istud præstat nix, si vel liqvata potus immergatur, vel ipsa vasi vinario circumponatur. Quod pariter de aqua nivata verum.

§ III. Aqua autem hæc nive mixta, seu nivata, seu, ut Isidori voce utar, nivica, apud veteres Romanos percolabatur, priusquam vel biberetur,

A

vel

S.

107

Martial. vel vino dilueretur, quo esset liquidior. Quo spectat illud Martialis poeta:
Lib. V. Epi- *Tu super aestivas, Alcine, funde nives.*
gramm. Serviebat instituto colum, vel sacculus nivarius, quo aqua nivibus mixta,
LXV. vel e nivibus liqvatis destillata, colabatur. Quem, ad purgamenta niva-
 ta aqua vel vini separandas, e lino pauperes texebant, e lapide spongio-
Thom. Bar- so delicati. Vid Bayf L. de Vasculis, citante Thom. Bartholino. Tutior
tholinus de ceterum nive liqvefacta habetur aqua globis nivium obsita vel etiam gla-
Usu Nivis cie temperata. Omnis enim nix fovet aeris tenuissimi portionem, quæ sa-
Medico Ob- lularis creditur. Hæc enimvero, simul ac liqvefcit nix, ruptis pelliculis
servationib. bullulisve, evaporat, aquæa terreaque relicta. Sed revertimur ad aquam
varius, C. nivatam, quæ, ut citius magisque frigus reciperet, decoquebatur olim Ro-
XVII. manis. Hinc aqua decocta, cujus iuventum Neroni vindicat Plinius.
Plin. H. N. Hucque illud Martialis pertinet:
L. III C. III. *Non potare nivem, sed aquam potare rigentem*
Martial. L. *E nive commenta est ingeniosa sit.*
XIV Epi- i. e. aquam decoctam, & vasis demissam in nives. Neque illud non inter
gramm. annotanda ponimus, quod nix aquam calefactam potentius refrigeret,
CXVII. quam frigidam. Forte quod spirituosæ partes calore avolant, vel quod
Aristot. L. I. laxior porosiorque aqua magis potest ab aere pervadi, eoque congelari
Meteoreol. promptius. Quod Philosophi est assertum, nempe calefactam aquam
 conferre ad celeritatem congelationis, citiusque infrigidari arbitrantis.
 Quod autem nix aquæ præstat, idem liquoribus aliis. Unde quondam etiam
 cum mulso permixta legitur. Hinc Plinius, in epistola ad Septitium Cla-
 rum, paratos cibos cum mulso & nive memorat. Hinc Domitianus cu-
 jusdam caput, varietate capilli subrutilum & incanum, perfusam nivem
Sveton. in mulso dixit memorante Svetonio in ejus vita. Obiter addimus, e nive
vita Domit. refrigerium imprimis oppertunum esse calidis, velutque æstuantibus,
 tempore maxime æstivo. Inde nix solatium stomachi æstuantis Senecæ
 audit. Cujus cæteroquin incontinentibus aroma, vel mel confert, corri-
 gens malitiam; item aqua calida. Item ante usum cibus calidior, aut ossa
 calidiori aromate temperata. Contra frigido nivis potu abstinendum
 frigidis, sedentariis, otiosis, pueris, senibus gravidis. Quamvis atas, vi-
 scerumque robur, totiusque habitus corporis, dent veniam. Consuetu-
Seneca L. dinis insuper, ut alibi, sic in potanda nive, momentum ingens. Princeps
IV. Nat. sapientum in porticu: omnia, inquit, consuetudine vim suam perdunt. Ita-
Quæst. ult. que nix ista, in qua etiamnum naratis, eo pervenit usu, & quotidiana
 stomachi servitute, ut aqua locum obtineat. Quantum tamen nivis, seu aquæ
 nivatæ, potio bibentis appetitui satisfacit, tantum appetentiam cibi exci-
 tat,

vem continens super prunas ardentes collocetur, atque medio nivis imponatur vitrum aqua plenum; prout nix sensim ab igne deliquescit, aqua congelabitur.

§. V. Hæc talia, etsi satis miranda, tamen hoc minus miretur aliquis, quo facilius sibi persuadeat, materiam frigore concretam frigus facile conciliare. At ignis subire vicem, calefacere, a frigoris noxa vindicare, id vero similis miraculo videri possit. Calefacit autem, tum quia ipsa caloris non expers est, tum quia calorem retro propiusque ad centrum agit, uniendoque potentiolem efficit. Rationi testando subvenit experientia, pauloque ante memoratus Hamelius, magnum Hetruria Ducem spiritum vini citra ignem elicuisse, nive circa capitellum alembici adbibita, memorat. Pauloque post habet illa: Barlaus refert, regem Angliæ Jacobum, cum esset in Dania, cumque nasi & aurium extrema vi frigoris pene enecta essent, nivem de consilio eorum, qui aderant, adbibuisse, quæ partes illas a gangrena defenderet. Idem sic pergit: Sed illustrius in hanc rem exemplum afferri vix ullum potest, quam id, quod nuper Cadomi contigit. Vir pius ex ordine Capucinorum, nomine P. Franc. Constantiensis, cum die V. Januar. hujus anni M DC LXX. iter ageret, & Cadomum sub noctem contenderet, ita hæsit in nive, ut pene in ea esset sepultus, nec potuit inde sese eximere. Frater ejus suburbium petiit, opem & auxilium postulans, sed diu conquisitus inveniri, nisi crastino die, non potuit. Illud sane miraculo proximum, quod in acerrimo frigore, quantum vix quisquam in Gallia ante expertus est, horas 14. exegerit, & in nive tamdiu vivus steterit, uno dumtaxat pedis digito mulctatus; rem vero non incerto vulgi rumore sparsam, sed certam & compertam refero.

Er. Barthol. disse ait Erasmus Bartholinus, spiritum vini præstantissimum solius nivis be-
Dissertat de nescio, sine igne exstillare. Atque huc forte tritum de manu exemplum
Figura Ni- quisquam referat. Ea nivibus attrectata incalescit. Etsi causam rei alii
vis. aliam quærant. Quidam enim ab antiperistasi arcessunt, alii a repressio-
ne particularum calidarum versus centrum, alii a Mercurio particulisque

Hon. Fabri congelatis. Honoratus Faber: manus, inquit, post nivem attrectatam
Phys. Tom. calefieri videtur, imo uri, non quod ex nive in manum per exigua ignis par-
III. Tr. VI. ticula traducantur, sed quia non modo multus mercurius a nive in manum
L. III Prop. derivatur; verum etiam multa particula congelata per poros sese insinu-
CXXI. ant, & ab humore eo debebuntur, quæ multas obstructions faciunt, atque
adeo sanguinem sistunt, vetantque, ne ultra in illis partibus percoletur;
hinc compressio, tumor, hinc rubescunt manus, hinc ad luculentum ignem
majorem dolorem senties, quia summus calor, cum plus æquo rarefaciat,
tum

tum mercurium, tum glaciatas particulas non sine aliqua strage educit. Existimemus tamen, nec sufficere, quam vocant ἀντιπερισσῶν, nec re-
pressionem sanguinis, nec Fabri mercurium; sed præterea calidas ipsius
nivis particulas efflagitari.

1389

§. VI. Progredimur ad usus nivis domesticos, quam manibus pedi-
busque lavandis veteres dicabant, ad fervorem æstumque refrigerandum
aut emendandum, pariterque cutem poliendam. Causam præter has a-
liam addit Magirus, nimirum quod lotio manuum ex nive firmas eas red-
dat. Nitorem autem probat jucundo experimento Th. Bartholinus.
Commodum ingens, inquit, ex circumposita nive experimur in spiritibus de-
stillatis subtilioribus, qui inde illustrem splendorem & elegantiam nanci-
suntur. Pro balneis etiam nix olim adhibita, laudatusque auctor inde
augmentum corporibus tribuit, dum ait: plurimi mortalium se immer-
gentes fluvii nivali aqua, ex montibus defluenti, augmentum sui debent.
Neronem autem refotum sæpius calidis piscinis, ac tempore æstivo niva-
tis, posteritati prodidit Svetonius. At longe his insignius emolumentum
præstat homini nix, quod putredinem inhibet, remediumque præsentis-
simum contra quosque morbos putridos affert, & a putredine cadavera
asserit. Atque hinc septentrionales robusti, longævi, & floridi coloris
existimantur: hinc pariter, qui in montibus nive asperguntur. De mor-
tuis autem Simlerus refert, LX. homines, aut plures, in Alpibus nive op-
pressos usque ad æstatis tempus delituisse, quorum corpora mortua in-
violata durarint. Et Monardus observavit, in montibus corpora hu-
mana & animantium congelata sub nive reperta, adeo incorrupta, ut vi-
derentur condita. Haud secus pisces a putredine conservari, & carnes
nive circumposita, adjectis imprimis paleis, multi auctores existimant.
Causam tantæ rei salis nivium transcribit summus Polyhistor. Dn. C. S.

Magir.
Comment.
Phys. L. IV.
C. VI.
Th. Barth.
l. c. C. I.
C. XIIX.

Sveton. in
Nerone, C.
XXVII.

Simler.
Comm. de
Alpibus.
Nic. Mo-
nard. de
Nive.

Celeb. Dn. C.
S. SCHURZ
FLEISCH-
US Disp. de
Nive, habit.
Wi reb. An.
MDCLXV
d. Kal. Febr.

§. VII. Quod ad morbos est, eorum cum præcautioni, tum curatio-
ni nix deservit. Quod ut pateat, secuti imprimis ducem incomparabi-
lem Th. Bartholinum, eundo per varias corporis partes, dabimus ope-
ram. Atque ut inde a capite auspicemur, cum ipsi, tum nobilissimis e-
jus partibus calore æstuantibus nix plurimum commodat. Eadem de
lirium sedat obortum e coriandro. In oculorum porro inflammatio-
ne ac doloribus collyrii est loco. Dentium pariter dolorem a calore ut-
plurimum intolerabili profectum lenit. Præsens item remedium Peri-
pnevmonia Erysipelatosa subministrat, observante in Peripnevmonia
Epidemia Italiae Ant. Tosio. Aqua autem nivis respirationis difficulta-
tem Antibracib.

Ant. Tosius
Traët. de
Antibracib.

S.

107



2821

tem tollit ac cordis dolorem. Nive jecur fervidum refocillatur. Facit eadem ad calculi præservationem. Lotium quoque provocat. Propter carbonem ipsum corporis commendat Q. Serenus Sammoniacus:

Nonnullis calcem vivam dissolvit aceto,

Fumantemque nivem papulis apponit acerbis.

*Nic. Floren-
tin. Sermon.
VII. Tr. V.
Summ. I.C.
XXIV.*

Ambulatio præterea aqua ex nive prodest. Nix & hæmorrhagias cohibet, frigore sanguinem fluentem repellens, densans, vasaque constringens. Aneurysma nive curatum memorat Nic. Florentinus. Eadem, si credendum Dioscoridi, hirudines, vel deglutitas, vel in gutture hærentes evocat. Quid? quod & podagram, cæterosque articulares morbos punitione molesto, solari creditur. Quæ salus vel inde ex nive, quod sale prægnans solvendo sali, seu tartaro arthriticorum, sit percommoda. Mirandum & illud est, curandis pernionibus nivem fervire, atque in exci-
tandis cauterio vulneribus inducere stuporem.

§. VIII. Amplius nix vires probat, & in calidis ventriculi passionibus potionem utiliter refrigerat, quandoquidem contraria sunt contrariorum remedia. Imo sive nix, seu potus nivatus æstuantium febrium calores restingvit. Mirabile etiam est prodesse in Cardiaca nivem, item in Cholera. Ventriculo robur post sumptum cibum aqua nivata conciliat, itemque ad expulsionem irritat jejunum stomachum. Forsitan quia infusum sal calorem temperat, ne cibi adurantur. Nix autem liquefacta consistentem movet alvum, vomitumque ciet. In colico dolore præsens est remedium: impositaque sanat membra frigore vitata. Ita frigus extrahit frigus: ita simile trahitur a simili. Tum dignissimum admiratu, in præservatione contra pestilentiam vel hinc di. inum suppetere medicamentum. Contra inter signa secutura pestilentia haberi. Fromondus ait hyemes tepidiores, & minime nivales. Denique interna hominum viscera contra pestilens ardensque venenum munit. Prorsusque memorabile est, quod celebratissimus Bartholinus ex Balthas Pisanelli, medico Bononiensi, memorat, quod post inventum potus nivati in Sicilia pestilentes febres ferocire desierint, & in urbe Messana mille numero pauciores homines quotannis interierint. Geminaque de Hispanis Ludovicus Nonnus confirmat Libris de Re Lib. Quid denique in nobilissimo meteoris divinius, quam vel mortem ipsam, rem omnium terribilissimam, efficere dulciorem? Id quod præter frequentem experientiam auctores complures scriptum reliquerunt. Nec ratio non in promptu est, cum egressa e nive frigida atomi calorem sensim sopiant, velutque narcotica quadam vi sistant. Nunc vero, antequam ab homine abscedamus,

non

non injucundum fuerit de nivis per quietem visæ præfagiis exponere. Moderata ob calorem in somniis sanorum valetudinis habetur indicium: in ægrotorum pituitæ frigida. In statu pariter sano nix alba lætitiæ, intempeſtiva insolentiam præternaturalem portendere creditur, hujusque signi fundamentum habetur in Hippocrate, L. de Insomniis. Conf. de hoc argumento Galenus Comm. III. in lib. I. Epid. & Oneirocriticæ scriptores.

§. IX Mittimus hominem, pluresque præter eum animantes sub nivibus servari pronunciamus. Degere sub nive talpas, eamque his viam liberam pro muribus ac vermibus devorandis relinquere, quoniam mures sub alta nive inter paludum meatus ac terræ cavernas discurrant, atque etiam foetum producant, Olaus Magnus confirmat, ejusque rei experimentum facile me ostendere nivem resolutam ait, quæ veluti retia perforata, vestigia ac nidos murium procreatorum indicet. De rupe autem Norvagiæ Fugelfang refert in Norvagiæ descriptione Petrus Claudius, perpetua nive copiosa obsita, quod in illa profunda sint foramina & fissuræ, ubi infinitæ aviculæ degant, albæ, nigræ, virides, flavæ, rubræ &c. nec capi possint memorante ex eo Th. Bartholino. Sed nivis pabulum ad plura animalium brutorum genera, quam ad aves spectat. Cum enim pleraque, tum & vel maxime domestica eo delectantur. Caterum, an inde candor ferarum in gelidissimis plagis æstimari debeat, dubium. Pli- nius certe esu nivis candidos Alpium lepores credidit. Nec ea opinio nihil omnino habere ex vero videtur, si, quod Bartholinus putat, nutrimentum a nive, juxtaque excrementa fieri candidora verum est. At jugem albi imaginationem simili colore foetum aspergere, verosimilius judicant subtilissimus Scaliger. Waldungus in Lagographia, Fromondus, Cabeus alii. Quod tamen improbat Mart. Schoockius, cum, si id esset, etiam nostra animalia efficerentur viridia, graminis viridis usu & aspectu. Alii naturam temperamentumque loci in subsidium vocant. Alii denique a frigore causam ducunt, illi inquam, qui propter idem homines in terris septentrionis cutem & crines albos aut flavos existimant. Quorum sum Conf. Bartholinus. Nostram si licet prodere sententiam, dixerimus, colorem album esse maxime naturalem, exemplo infantum, oriundum a copia humoris. Hunc Sol pedetentim minuens mutat. Quum is itaque in nivosis locis ac frigidis minorem vim exercent: hinc alboris constantia.

§. X Verum enimvero pabulum forte animantibus non minus ex vermibus nivium, quam ex ipsis nivibus paratum. Nives multis in locis

1391

Ol. Magnus

H. St. Sept. L.

XIX. C.

XXXV. C.

L. XXII. C.

&c. VII.

l. c. C. IX.

Plin. H. N.

L. VIII. C.

L. V.

Scalig. Exerc.

cit. LIX.

Waldung.

Lagograph.

C. II.

Fromond.

L. V. Met. C.

V. Art. V.

Cab. L. I.

Met. S. L.

qv. VI.

l. c. C. XLIX.

S.

107

1031
 verminare, vix dubitatur, quippe cum & experientia hoc testetur, & viri ex-
 perientia edocti. Dari vermes nivium copiosos in Carinthia teste multi
 existunt. Eosdem, atque teredines dari in Islandia perinde atque in
Ol. Magnus pannis laneis male custoditis, Olavi Magni memoriae prodidit. **Pari-**
Hist. Sept. ter in Persiae altissimis montium jugis vermes nivale reperiri, dictos **Su-**
L. II. C. VIII. lal, digitum longos & iatos, eosque contritos clarum & refrigerio aptum
Arist. L. V. liquorem dare, annotavit Olearius Not. ad Schichsaadi Roset. Pers. L. I.
Hist. Anim. C. XLII. De vermibus igitur constat: idque praeterea testantur **Aristo-**
C. XIX. teles, Strabo, J. C. Scaliger, Cardanus, Casp. Schottus, Plinius, Sennertus,
Strabo L. pluresque. At, undenam generentur, res alicui plenior. Sunt, qui e ter-
VII. de Var. rae gremio prodire existimant. Quod assertu facile quidem, sed creditu
C. XXIX. difficilius. Clausus terrae uterus: frigusque externum prorepere vermi-
Scalig. Ex- culos vetat. Latitant pleraque, quasi mortua. Fortunius Licetus ex
ercit. L. IV. commissis cum nive cadaverum animaliumque pulveribus, succis aut ex-
sect. II. crementis nivi supervenientibus, vel ex atomis aeris, vel ex subjacente
Cardanus L. solo. Ergo nivis potius impuritatibus, aut terrae, quam nivi foetum hunc
IX. Subtil. transcribit. Cardanus tamen collectis vaporibus quibusdam calidis,
fol. 296. qui a frigore conclusi putrefaciant reliquum humidum secum coacti, adeo-
Schottus que nivi. Sed ut putredo non est in nive, idque ob sal, putrefactionis
Phys. Cur. remedium: ita nec causa est infecti. Th. demum Bartholinus putat, de-
Plin. L. II. C. structa nive pura, ex liquore ejusdem inquinato varias exsurgere muta-
XXXV. H. tiones, & sub nive animalia animari, cum diffluente nive terra tepeat.
N. Quae ratio ideo non placet, quod nivi saltim impurae vendicat, quod nivi
Sennert. in se tribuendum videtur. Probabilior utique nivalium vermium causa
Hypomn. L. videtur eaem, ob quam aqua interdum pluisse vermibus dicitur. Se-
V. C. VIII. mina cum vaporibus tolluntur in altum. Inde miscentur materiae sive
Licet. L. IV. pluviae, sive nivae. Post rursus decidunt ut cum guttis pluviiis, ita cum
de Spont. nivium floccis. Delapsa demum super terram sub nivibus virtute So-
viv. Ort. C. lis generatricis brevi post excluduntur. Quod ceterum vapores, unde
LII. § L. III. & pluvia, & nix generantur, semina vermium vehant quandoque secum,
C. XXXIX. exinde perspicitur, quia aqua pluvialis soli exposita foetet, referente ex
l. c. C. IX. Ten Rhyne Magnifico Domino RECTORE. Qui verissime negat, in-
Magnif. tra nubes seminea excludi, & animalia perfici, his potissimum inductus ra-
DN. D. VA- tionibus. I. quia testimonia certa desunt, quibus constare possit, vermes
TERUS, l. c. decidisse; II. quia nubes non praebent commodum locum exclusionis & for-
Q. IV. mationis, propter continuam agitationem & confusionem. Vermiculi cae-
 teroquin ut cito fiunt, sic cito pereunt. Torpere omnes testatur
 Philosophus, ac difficulter moveri, inde paululum suis natalibus supersti-
 stes.

tes. Aliam subitæ necis rationem interferit illustris Baco Verulamius, *Baco Veru-*
 subitam spiritus tenelli exhalationem. Quod restat, de genere vermium *lam. Cent. 1393*
 nil audemus definire. Nunquam enim sibi similes occurrere dicuntur: *VII. Expe-*
 varia dantur species. Plin. *in nive, inq. culicis candidi reperiuntur, & ve-*
 rustiore vermiculi, *in media quidem altitudine rutili, hirti pilis, grandio-* Plin. L. II.
res torpentesq. Genus interim non exprimit. Idemq; fere ante Plinium C. XXXV.
 exposuerat Aristoteles: *in iis, inq. quæ putredinem nullam posse reci-* Aristot. l. c.
pere existimantur, nasci animalia novimus, ut vermes in nive vetustiore,
qui hirti sunt pilis, & rubidi; sed in nive media terra candidi & grandio- Strabo L.
res inveniuntur; torpent omnes, ac difficulter moventur. Accuratius rem II. *Rev.*
 enucleat Strabo Armeniæ Chorzena & Cambylena. Tradunt, inquit, *Geogr.*
in nive glebas coire cavas intus, aquam utilem, tanquam in tunica con- Th. Barth. l. c.
tinentes; & animalcula quoque in iis nasci, quæ vermes Apollonide vo- Jonst. Thab-
cantur, Theophani Ἰστῆες. Quorsum vid. pluribus hæc eadem perfe- mat. Class. III
 quens Th. Barthol. Conferantur Jonston. Thavmatograph. Fromond. C. VIII.
 Meteorol. Schottus Phys. Curios. Ephem. Germ. Scalig. Exercitat. Fromond. L.
 S. XI. Ad alia nivis producta viribus procedimus, atq; foecundare V. Met. C. VI.
 terram affirmamus. Quo respexit divino Numine afflatus Isaias, ver- Schott. Phys.
 bi divinitus patefacti admirandam efficaciam cum nivis foecundatione Curios. L. II.
 comparans. Terram vero foecundat nix, quia sub ea plantæ proveni- Ephem. Ger-
 unt, quia fructibus favet, quia fruges promovet. Primum plantæ sub man. Decur.
 nivium tegumentis proveniunt. Proveniunt autem, teste Stagirita, in I. A. IV. & V.
 nivibus flomus, & herbæ amaræ omnes. Stagiritæ fidem concilians Dec. II. A. II.
 Bartholinus, in hortis patriis sub nivibus florere vigereq; nasturtium, & III.
 cochlearia, aconitum hyemale, elleborum & plura, ait. Calore enim Scalig. Exere.
 debili plantarum ortui nimis quam nix favet. Atque aliquis quærat: CXCI.
 unde plantarum semina? Putat cum Sennerto Bartholinus, e terrarum Isa. C. LV.
 calidis exhalationibus semina attrahi, sic tamen, ut etiam ex aere, in ipsa Comm. 10. 11.
 generatione, hauriri non diffitearur? Quæ quidem ratio nova ratione Arist. L. II. de
 eget. Verisimilior videtur ea, quam de amarore affert, petitam ab Plant. C. III.
 imbecilli calore. Confer. Baco Verulamius Sylv. Sylv. Licetus de spont. Bac. Veru-
 viv. ort. Scaliger Comm. de Plant. De Fructibus addimus, quod lam. Cent VI.
 nucibus summopere nix conducatur. Nec male videtur existimasse Fro- Sylb. Sylb. Ex-
 mondus: *nives nucum avellanarumque favere proventui, & hinc co-* perim. LXIX.
piam nucum signum minime mendax esse fertilitatis annorum. Conf. Licet. L. III.
 Virg. Georg. Cæterum, quod de Plantis ductum est, de plagis polo vici- de spont. Sib.
 nis vix intelligi potest. Ubi enim Sol integra circumvolutione gyratus ort C. XXIII.
 supra Horizontem vim resolvendi non acquirit, pauca crescunt, imo nul- Scalig. Comm.
 B la Virg. L. I. Georg. in L. II. de
 Plant.
 Fromond. L.
 V. Metereol.
 Art. IV.
 Georg.

S.
 107



la fruges ad maturitatem perveniunt, nullæque arbores conspiciuntur. Herbas tamen quasdam in hujusmodi nasci locis proditum, si tamen non potius alga aut ulva quædam sint, qua renoceros nutriri, omniaumq; maxime pingvescere ajunt, quam gramen quoddam terrestre.

Plin. L. XVII. C. II. §. XII. Cum primis autem inter providentiæ opera hoc etiam quis dignissimum admiratione suspexerit, quod nix fruges mirum quantum adjuvet. Hinc Plinius: *vota, inquit, arborum & frugum communia sunt, nives diutinas sedere.* Hinc lætarum messium e copia nivium præfagia. Nix enim fruges partim conservat, partim promovet. Primum conservat, dum & fovet sata, & maleficia tollit. Fovet sata, dum vice utilissimi operimenti adversus imminens tuetur frigus. Tuetur sanè, quando id arcendo efficit, ne particulæ vegetabiles constriquantur, congelentur, & conglacientur, adeoque in nutritione ac conservatione impediuntur. Nec vero tantum a frigoris injuriis defendit, sed & noxas tollit, & velut narcotica quadam vi sopit, quibus alioquin alimentum bonis frugibus eripitur. Sopit autem ac fistit propter spiritum suum benignum, ut quidam putant, quem omnes prohibere injurias vel inde possit æstimari, quod pluribus fruges æstate, quam hyeme periculis sint expositæ. Jam incolumitatem excipit incrementum, quod segetibus a nive accedit. Quo officio perfungitur tum reprimendo, tum largiendo. I. reprimat sub terram calorem, particulasque, s. atomos calidas, vegetationi satorum profuturas. *Calor, Theophrastus inquit Paracelsus, cogitur densaturque, atque ita corroboratus præstat, ut radices fiant grandiores & validiores, ac, ubi cæli fuerit clementia, planta & amplius & citius erumpat e terra.* Enimvero, si calidum partes porosque rei vegetabilis subire nequeat, primum putredo, tum mors consequitur. Tanta nives mala præcavent, faciuntque, ut calidum insinuet se in poros. Quo fit, ut non modo nulla a frigore incumbente noxa non sit timenda, sed etiam a calore genitali, tanquam in penu, retento, majora radicibus augmenta accedant. Hinc cohibiti præcoces frugum exortus majores spondent divitias. II. retroagit in radices frugum halitus terræ pariter frugumque, qui radicibus nutriendis inserviunt. Spiritum plantarum vitalem intra terram supprimit, ac continet, ut circa radices hæreat potissimum, & vis unita fortior evadat, ut loquitur Celebratissimus DN. KIRCHMAJERUS. Conf. Gassendus. III. humores similiter retundit. Quo ipso non possunt non majoribus subinde auctibus radices turgescere, firmitusque indipisci robur. Ita vegetiores segetes cum tempore magis luxuriant, viresque diuturniores servant. Contra anti-

**Theophr. de
Caus. Plant.
C. II.**

**Celeb. DN.
KIRCH-
MAJERUS
Disp. de Ni-
ve, habit. A**

**O. R. MDC
LIX. d. XII.**

Nov.

**Gassend. in
L. X. Laert.**

P. II. S. III.

M. I. L. II.

C. III.

anticipata continuaque germinatione langvorem contrahunt, citiusque
deficiente succo incrementa desperant.

§. XIII. At enim videbimus nunc officium, quod largiendo absolvi-
tur. Nec enim sufficere natura animadvertit ad fœcundationem terra-
rum solam repercussionem caloris, quod Cardanus asseruit; nec spiri-
tuum, nec humorum. Nam & frigus sine nivibus multo magis calo-
rem sub terram repercutit: exinde tamen nulla fœcunditas. Ergo nix
alio insuper nomine facit laudabile officium, nec frugibus modo dona
sua servat, verum longe his plura beneficia confert. Namque I. pin-
gvem succum, niveamque aquam, nix terræ frugibusque instillat. Pin-
gvem enim humiditatem habet, testimonio Scaligeri. De humore sci-
te illustris Baco: *nix, inquit, si diutius sparsa terram tegat, fœcundita-
tis eo anno index censetur, quod & soli vigorem dilabi non patiatur, &
humectandi partes pluvia potiores habeat, cum nivem terra, velut uber,
exsugat, & humore sit tenuissimo, utpote spuma aquarum nubibus conten-
tarum.* Pingvedo forte a terreis est particulis. Quod si enim credi-
mus Straboni, auctori gravissimo, glebæ nivis aquam utilem, tanquam
in tunica, continent. Hinc nivibus solutis benignum effici lutum dici-
tur. Sunt tamen, quos non moramur, qui ab aere maxime derivan-
dam pingvedinem velint. II. haud minus salutarem halitum, quo tur-
get meteoron, quemque una cum succo terræ venis inspirat, iudicio
Fromondi. Spiritum, inquam, vegetabilem, quem ex aere nix secum
defert. III. nitrum, cui ex parte fœcunditatem Gassendus asserit, pro-
pter quod aqua nivea ad proventum faciat. Neque enim tam sal per se
generationi nutritionique officere, cum ejus potius causa sit, quam ni-
miam copiam exficcare atque exurere. Quæ firmantur suffragio Bar-
tholini, qui & multum inesse halinitri in nive, & posse per artem ab ea
separari, & vero nil dari nitro ad fœcundandos agros præstantius, asseve-
rat. Deque sale quodam e nitro confecto narrat, potuisse momento
coagulare res liquidas. Quicquid autem principium coagulationis, i-
dem fœcunditatis existit. Libet vero de eadem fœcunditate audire do-
ctissimum Hamelium. Sic ait: *nivem ajunt fertilitatem terra in-
ducere; seu, qui a succum benignum instillat; seu, quod terra & planta-
rum halitus contineat, neque exspirari sinat.* Hinc in montibus nive ob-
ductis erumpentes halitus sibi fornicem aut crustam excavant, sub qua le-
ta exsurgunt gramina. An forte fœcunditatem suam ab halinitro veni-
tuantur? Hinc facile in aqua solvitur, & dissoluta ventum frigidum spi-
rat. Sed in prioribus duabus causis acquiescens H. Faber: *nix, inquit,*

B 2

fœcun-

1395

Scalig. Ex-
ercit. L. IV.
Baco Veru-
lam. Hist.
Nat. Cen-
sur. VII.
Strabol. c.

Fromond. L.
V. Meteorol.
C V. Art V.
Gassend. l. c.
Barthol. l. c.

Hamel. Opp.
Phil. T. I.
Tr. II. de
Meteor. &
Foss. L. I. C.
III.

H. Fabri

S.

107



*Phys. Tom. fecundat agros, tum, quia facit, ne calidior halitus plantis amicus sursum
III Tr. VI. evolet, tum, quia pingvem succum, perinde ut nubes, herbis suppeditat, quo
L. III. Prop. vegetiores sunt.*

C. XXI. §. XIV. Nimii essemus, si longius in nivis incredibiles utilitates ex-
curreremus. De noxis itaque breviter adhuc videamus. Ut enim nil
usque adeo est utile, quin suas juxta se trahat incommoditates: ita cum
nive etiam comparatum. Cujus antequam incommoda aggrediamur,
Senec. L. IV. hoc omnino præfandum ducimus, quod sapientissimus Stoæ alumnus
Quest. Nat. C. XLIX. ore modo non Christiano de ventis pronunciavit: *non queri possumus
de auctore nostri, si beneficia ejus corrumpimus, & ut essent contraria, ef-
ficimus.* Eodem referimus vindictam Numinis irati, cui quævis pro
flagellis sunt. Inde igitur est, quod nix, illustre providentiæ pignus,
malum det ac noxam. Noxas ergo utilissimi meteori dispiciemus. Atque
ut inde auspicemur, in quo modo est desitum, primum damnum infert
plantis ac frugibus. Copiosior enim, & ea diutina, talia corrumpit.
Plantas præsertim exoticas, etiam fimo contactas: ut taceamus agrorum
inundationes, quæ a multa subitoque resoluta nive manant. Hinc fa-
torum suffocatio: hinc arborum sterilitas: hinc denique annonæ cari-
tas. Nix item vento comitata & agitata frigido frugibus plantisque
noxia creditur.

*Fabri Tr.
III. L. I.
Prop. XLIX.*

*Arist. L. II.
de Animal.
Text. CXXI*

§. XV. A plantis ad animantia, imprimis hominem, revertimur, cu-
jus oculis nix diutius visa fert incommoda. Hinc, qui mediis in nivi-
bus habitant, debiliore plerumque sunt visus: hinc gentes hyperboreæ
debiliorem oculorum aciem habent, v. g. Lappones, teste Fabro. Imo
non tantum perstringit nix oculos, sed etiam homines pariter cæteraque
animalia, si frequentius in nivis conspectu versentur, excæcat, viatores-
que haud raro quasi lumine oculorum orbat. Speciatim de lupis regionū
suppolarium scriptum reliquit Olaus Magnus, nive & frigore sic quan-
doque affici, ut plane oculis priventur. Excellens enim sensibile lædit
sensorium, docente Philosopho. Proportio, temperies ac mediocritas
requiritur inter sensibile & sensationem, seu inter objectum & facultatem.
Ergo excellens sensibile lædit organon. Hujus enim vires dissolvuntur
ob intemperiem. Sic odor vehemens dolorem infert capiti: sic sclope-
ti tormentive sonitus lædit aures, propter aerem uno impetu irruentem.
Atqui nivis lux intensa ac nimia est excellens visibile. Itaque visum for-
tius afficit, lumenque oculorum, tanquam minus, vel hebetat, vel pror-
sus obfuscat. Est igitur nocumentum a splendore. Hic nimius species
visivas disgregat, viamque laxat spiritibus. Explicatius hoc reddens
Fabre:

1397

Faber: *albitudo*, inquit, *disgregat visum*. Radii enim continui fortiores Fabri l. c. sunt. Igitur oculum magis afficiunt; igitur magis rarefaciunt; igitur Prop. CXX. retinam valde distrabunt, vel, ut vocant alii, *disgregant*; in uvea hoc ipsis oculis afficimus, unde pupilla contrahitur &c. Cum maxime vero per nives ambulantium sereno coelo oculi perstringuntur. Nam nix, ut idem ille habet, multum luminis reflectit, quia candida est, & lumine solari perfunditur. Igitur maximam affectionem oculo imprimit; igitur retinam valde rarefacit atque resolvit; hinc dolor atque oculi labes. Ceterum, quod nos cum Honorato, idem olim censuit Galenus, causam non eum ad splendidam & vehementem lucem referens. Splendori accedunt spiritus illi tenuissimi & fortissimi, qui ex nive exhalant, & vi quadam secandi præditi creduntur. Utrum vero spiritus niveus vi præditus sit secandi non carnem modo, sed argentea etiam atque ænea vasa, & acutus flammæ in modum incidat, id quod Plutarchus affirmavit, maxime dubitamus. Omnino autem aberrasse a janua videtur Olaus Magnus, frigus pro causa mirandi effectus afferens. Quod restat, Optici ad visum conservandum paropia vitrea ac conspicienda utrinque plana sudent, ne radii optici adverso objecto offendantur. Tumore autem ac dolore jam contractis malagmata aqua rosacea aspersa imperantur.

§. XVI. Levior tamen oculorum sive læsio, sive excoecatio, præ cæteris damnis videatur. Sæpe enim in vitæ discrimina coniecisse viatores nivium altitudinem legimus. Ad quæ sustinenda varia excogitata remedia. Baculos supponit Strabo, hastilia Cœlius Rhodiginus, erigenda propter respirationem, casusque significationem. Vid. ille & Bartholinus, qui præterea Xenophontem adducit & Cardanum. Extra vitæ periculum constituti bulimia tamen corripuntur, qui diu iter faciunt, interningendum, & nives. Vid. Hon. Faber. Est v. bulimia fames quædam intolerabilis, hic e nive oriunda. Multumque ab appetentia canina differt, quæ perpetuo cibum appetit, sumptumque evomens regurgitat. Aliis bulimus deliquium est ex nive: Fabro deliquium ex defectu cibi cum sudore roseo, stringente præcordia frigore, hoc est, ventriculum pulmonis. At nobis quidē deliquium consequi bulimiam videtur. Ceterū frigus, quod pro causa mali adducit Faber, non nisi causa est remotior. Proxima calor existit, qui, verissimo iudicio Plutarchi, ob corpus frigore adstrictum coctus intro alimentum citius consumit. Juvat in eandem sententiam prolixius differentem audire longe celeb. DN. SCHURZFLEISCHUM. Is: SCHURZ-*on nium*, inquit, *frigidorum illa natura est, ut ad largiter edendum disponant*. Quandoque enim frigida internum calorem ventriculi cogunt, ut faciant, ut alimenta tanto fortius consumantur. Frigidi nivis halitus calorem

B 3

lorem

S.

1077

lorem foras dispersum intus cogunt, porosque exteriores plane claudunt, ut spiritus inscius reliquique influentes citissime nutrimentum incidant, consumant, ac in partes corporis convertant, unde non potest non fames solito major exercitari.

§. XVII. Cujus dum vestigia, tanquam Dei cujusdam, sequimur, secessionem a B. Sennerto facimus, qui causam bulimi ab atomis frigidis, per poros & os ad ventriculum penetrantibus, ducens, calorem fugari vel obtundi censet. Abunde enim constat, hyeme corpora omnium maxime calere. Tum, ex deliquio famem conciliari, ordine inverso proficitur. Nihilo hic quidem accuratius philosophatum Fromondum agnoscimus, qui in halitibus nivium, ventriculum inflantibus & morsicantibus, praesidium ponit. Quem interpretatus Bartholinus vellicationem illam stomachi ex salina nivis vi excitare famem suspicatur; at vero ex nivis frigore, per respirationem à pulmonibus hausto, oriri lipothymiam, sanguinis circuitu per frigus impedito ac retardato. Sane vero primum haud liquet, quamobrem diversam causam bulimiae & lipothymiae constituat, cum eandem utriusque esse appareat, quippe indivulsi arctissimeque connexi. Deinde nulla patet ratio, cur frigus a salibus in excitanda fame sejungat, cum in congelatione sal sine frigore esse nequeat. Denique si ex frigore nivis, per respirationem à pulmonibus hausto, oritur lipothymia, reddatur ratio, cur non & ab alio frigore quocunque, inprimis intensiori, quam frigus esse nivium solet. Nec enim minus ab alio quovis, quam a frigore nivis, sanguinis inhiberi circuitio potest. Sedet igitur, sal, frigus, coactosque intus calores causas facere bulimi, bulimum v. lipothymiae. Laborante enim ex fame ventriculo reliqua pariter membra spiritusque male affici incipiunt. Contra, sedato bulimo, pristinus animo vigor redit. Sedatur ceteroqui tum pane, qui benigno spiritu ventriculum recreat, tum vehementiori tussi, qua maligni spiritus excutiuntur, ut existimat Hamelius. Qui ceteroquin halitus nivales juxta cum Fromondo ponit, putatque, subire corporis meatus praecalore apertos; atque adeo calorem naturalem uberiotem exspirare. Cui idem censemus respondendum, quod effato Sennertiano. Idem eosdem halitus ventriculum & pulmones male afficere ac vellicare ait. Quod quidem largimur, & lubentes; morbum tamen bulimi & a ventriculo proficisci, & a pulmonibus, est, quod negamus. Minime vero omnium debilior stomachus accusari debet, quo infrigidato incipiat quasi mortificari atque insensibilis fieri virtus appetitus. In statu enim is considerandus, non a parte posteriori, & postquam jam in vehementius deliquium degeneravit. Debilitas igitur, bulimum ac lipothymiam

B. Dan.
Sennert. L.
III. Prax.
Parv. I. Sect.
II. C. IV. q. I.
Fromond.
L. V. Meteor.
C. V. Art.
V.

Hamel. T. I.
Tr. II. L. I. C.
III. de Congelatione,
& novis circa glaciem
experimentis.

miam subsequens, eius causa dici nequit. Nec debilitas stomachi ante bulimum in eentum venit. Tamen enim debilior citius, quam robustior, offenditur, nec tamen propterea vel robustissimus, suffragante experientia, immunis ab hoc malo habendus.

§. XIX. Adhuc alia dat mala nix; sed & nivalis aqua, tametsi calefacta. Ideo autem, censebat Bartholino, potu noxia, quod semper retineat complura halum corpuscula, quae meatus intraneos occupantia spirituum motionem inhibeant, effectumque frige factionis proinde praesentia calori nativo officiant. Alii halitus terrestres, interdum pestilentes, autumant. Alii denique parti terrestri, si evaporata fuerit aerea, omnem noxam adscribunt. Quamvis non capiamus cum Gassendo, quomodo pars terrena nocere queat, cum & alimenta terream habeant partem, & aqua ex terrae admittione sit nonnihil turbida; & aqua vulgaris pro aegrotis ita soleat calefieri, ut post ebullitionem peractam plus residui terre, quam ex nive liqvata, relinqvatur. Speciatim autem cum gula nix pugnat, & deglutitione, in tantum, ut curari non possit. Pectori item cordique noxia, hepatici & pulmonibus habetur. Quod populis Alpinis guttura bronchocele, seu tumore turgeant, neque minus horum accolis, Noricis, Carnis, Rhæti &c. plerisque, pariter nonnulli ad nives referunt. Aquarum sane vitio guttur plerorumque intumescente, Plinius auctor est, praesertim ex nivibus diffluentium, quas & copiosas montes suppeditent, & Alpini potent. Plinium sequitur Scaliger, eo quod aqua e nivibus liqvefacta multum terrestris & crudi contineat, quod crudum repugnet resolutioni. Alii tamen aliter sentiunt. Quidam enim crassam lentamque pituitam praetexunt, non nivem liqvefactam: alii hereditarium Alpinis morbum: alii endemium, non natis modo incolis, sed & advenis proprium: alii admixtis aquae metallis, per quorum venas aquarum scaturigines decurrant. In primis mercurium gutturosos facere multi existimant, exemplo artificum inauratorum, mercurium tractantium. P. L. Faber non nivem, nec aquam, quae ex nive & glacie funditur, inculcat, sed spiritum salis congelantem & coagulantem, quo turgeant aquae omnes & fontes huiusmodi climatum; imo & nivem glaciemque, spiritu aquae sulphureo per frigus evanescente. Peculiarem denique credit esse proprietatem aquae & loci non satis explicabilem Casp. Bartholinus. Quicquid huius sit, nobis satis est, hanc cladem & turpitudinem a nive ejusque potu avertisse Casparis filium Thomam, qui in hoc argumento accurate versatus consulatur. Nostrium ut addamus symbolum, terrestris viscositatis copiam, & spiritus Mineralium, quibus montana abundant, magnum putamus mo-

l. c. C. XXXIII.

Plin. H. N.

L. II. C.

XXXVII.

Scal. Exerc.

LX.

Casp. Bar-

tholin. L. I.

de Aquis C.

XV.

Tb. Barth. l.

c. C. XXXIV

men-

25.

107



2747.
mentum ad conciliandas strumas habere. Spiritus autem, nullum est dubium, quia se communicent aquis, coagulandi que vim a sale adepti efficacius jungantur.

§. XIX. Extremum, quod de nive moneamus, erit, quod membrorum extremorum sæpe jacturam nix procuret. Id mali est a frigoris nivei excessu: quo nomine diutius per nives iter facientes membris uruntur. Emoriuntur pedes, calore extincto vel suffocato. Hic repulsus ab extremo corpore, atque ad penetralia confugiens, tandem vi exigitur. Nec mirum, a frigore dici ustionem esse, quæ non tam a frigore est, quam calore interno. Hic, dum nix frigiditate poros constringit, magis magisque velut compactus, usque eo membrum afficit, ut incendi videatur. Hinc fit, ut ita accensum, dum aquæ calidæ immergitur, calore aquæ aperiente poros, & exhalante interiore, frigidum evadat. Alii exsiccationi id attribuunt, ortæ a motu pedum. Bartholinus autem: *existimo, inquit, in ar-*

Et a nivium compressione & fricatione cutis calorem probocari, & aperiri poros, sed in frigore sicco, & denso nivium lapsu, primo sopiri calorem partis, & quasi figi; deinde cutem nimia adpressionione constipari, & a frigoris nivis que siccitate vellicari.

Plut. l. e. inepite, ejusdem iudicio, Plutarchus nivis spiritum huc advocat, cui sale m jungit. Primum nivium frigus beneficio salis poros membrorum adstringit; deinde exsiccet, nivibus scilicet sibi relictis, nec compressis; denique ope salis membrum vellicat, mordicat, urit, temporisque tractu calorem internum intensissimum eliminat; hisque rebus stupidum reddit, enecat. Unum adjiciemus traditum a Seneca: *Minus algere, ajunt, inquit, pedes eorum, qui fixam ac duram nivem calcant, quam eorum, qui teneram ac labefactam.* Iudicio enim Bartholini in fixa & dura benignus aer hæret, qui exspiravit, nive in aquam diffluente. Quamquam aer nivis tenerioris benignior adhuc probandus veniat. Satius forte fuerit, ut putemus, minus aeris in nive duriore inesse, plus frigoris, quippe a frigore incumbente hoc magis infestata, ac velut incrustata, quo diutius perduravit. Dum enim sol assidue nives depascit, ruptis humidis pelliculis, aer avolat, inferioribus earum partibus residuis. Quæ partes dum subjectis infra bullulis adhærent, has crassiores efficiunt, quas superveniens frigus magis magisque indurat. Conf. sæpe laudatus Bartholinus.

Seneca L. IV. Nat. Quest. C. V.

C. XXXI.

§. XX. Multa alii addunt mala: arthritidem, dolores colicos, nephritidem, calculum, urinæ difficultatem, viscerum tumores, subversionem stomachi, pectoris angustiam, scorbutum, nigredinem dentium, oris graveolentiam, ipsam suffocationem. Quæ & alia damna ne res tam salutaris afferat, cum Numen precibus conciliandum, tum adhibenda cautio. Sive itaque in nive, sive in aqua nivis liquata, sive in potu nivibus refrigerato, intensus frigus & copia vitanda. Tum assiduus usus, quippe cum offendat nervos, pectori noxius, & internis cumprimis anhelosis membris. Usus præterea externus minori stat periculo. Quam ceteroquin habet utilitatem affusa frigida, eandem nix cum glacie. Quamquam cavendum a thorace & capite, ne tusses ac destillationes excitet, monente sæ-

C. XXXVIII.

piissime memorato Barthol. Atque nunc, quod Deo immortalis sit immortalis gratia, niveum istud mare prope immensum, secundis emensi ventis, tenemus portum. Paucula quidem sunt de candidissimo meteoris memorata, & quæ vix minimam cognitionis partem absolvant: quantulacunque tamen sint, plenissimam totam divinitatis naturam produnt. Cujus tot tamque stupenda sunt opera, ut vel in unius nivis contemplatione humanus deficiat animus, seque oneri tam levi longe imparem sentiat. Quare veniam indulgebit B. L. si, quod susceperamus frigidum scribendi argumentum, frigide nimis, minusque, ac dignitas ejus requirebat, persecuti videamur. Plura cupiens commemoratos identidem adeat auctores: Plutarchum, Senecam, Cabeum, Fromondum, Monardum, Gassendum, H. Fabrum, Cartesium, Bartholinos, Casparum, Erasmum, maximeque Thomam: alios.

F. J. N. S.

WITTENBERG, DISS., ERGABAND, 2.

1668/1708

ULB Halle

3

001 507 230




TA-202

K077



Wit
E
166





364

DE

1928 K 944

1381

NIVE

L. 27

58.

28

DISSERTATIO QVARTA,
QVAM,
DEO O. M. CLEMENTER ANNUENTE,

IN
ILLUSTRI AD ALBIM ACADEMIA,

PUBLICÆ DEFENDENT,

PRÆSES

M. JO. ANDREAS PLANERUS,
STRELENSIS MISNICUS,

ET

RESPONDENS

BALTHASAR SIBERUS,
BURCKERSDORF. MISN.

VII. KAL. MAJ.

ANNO clc lvc IVC.

HORIS LOCOQ. CONSVETIS.

VITEMBERGÆ,

Prelo CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.

1696

FR 57

S.

1077

